

[Accueil](#)[Revenir à l'accueil](#)[Collection Mythologiae libri decem, Venise, Segno della Fontana, 1567](#)[Collection Mythologia, Venise, 1567 - Livre VII](#)[Item Mythologia, Venise, 1567 - VI, 01 : De Phaethonte](#)

Mythologia, Venise, 1567 - VI, 01 : De Phaethonte

Auteur(s) : Conti, Natale

Collection Mythologia, Venise, 1567 - Livre X

Ce document a pour résumé :

[Mythologia, Venise, 1567 - X \[61-62\] : De Phaethonte](#)

Collection Mythologia, Francfort, 1581 - Livre VI

[Mythologia, Francfort, 1581 - VI, 01 : De Phaetonte](#) est une version augmentée de ce document

Collection Mythologie, Paris, 1627 - Livre VI

[Mythologie, Paris, 1627 - VI, 02 : De Phaëton](#) est une transformation de ce document

Collection Mythologie, Lyon, 1612 - Livre VI

[Mythologie, Lyon, 1612 - VI, 01 : De Phaëthon](#) est une transformation de ce document

Informations sur la notice

Auteurs de la notice Équipe Mythologia

Mentions légales

- Fiche : Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle). Licence Creative Commons Attribution - Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR)
- Images : Münchener DigitalisierungsZentrum (MDZ).

Présentation du document

Publication Venise, Comin da Trino, 1567

Exemplaire Munich (Allemagne), Münchener DigitalisierungsZentrum (MDZ) , Res/4 Ant. 50

Formatin-4

langue(s)

- Grec ancien
- Latin

Pagination 167v°-169r°

Des dieux, des monstres et des humains

Entités mythologiques, historiques et religieuses [Phaéton](#)

Notice créée par [Équipe Mythologia](#) Notice créée le 30/04/2018 Dernière modification le 25/11/2024

Mythologia

crudeliter Phaethontem oppressisset, quam paterna indulgentia, & nimis facile ab ipso patre exaudita filii preces? Quod si Dii non tam faciles aliquando hominibus precantibus fuissent, multæ calamitates, multa pericula, multæ cedes fuissent à virorum bonorum capitibus depulsi. Ut igitur æquo animo ferremus siquid à Diis impetrare non possumus, multa excogitata, & ut suauiter à vulgo imbiberentur, fabulis involuta fuerunt. Neque enim cum quid frustra precamur, continuo in desperationem est cadendum; quod insulti plerique homines fecerunt, qui cum votorum suorum non fuissent facti compotes, vel Deos nullos esse dixerunt, vel res humanas non curare, vel omnia inexplicabili & certa fatorum serie trahi; resque diuinas suæ inscitæ, non ingenii sui imbecillitatem, diuinæ naturæ subiecerunt. Ut igitur æquo animo nostras preces irritas fuisse aliquando perferamus, Deorumque immortalium consilium in bonam partem acciperemus, & ea quæ dicta sunt de Phaethonte, & alia complura his similia, sinxerunt antiqui: quæ imperitorum multitudini aniles nugæ, & res ridiculæ videntur: at si quis rectè consideret vniuersam fabularum naturam, illas ad humanam vitam in melius vertendam excogitatas fuisse sentiet. At nunc de Phaethonte quæ memorix prodita sunt ab antiquis perquiramus.

10

De Phaethonte,

Cap. I.

Phaethon Clymenes Nymphæ & Solis filius fuisse dicitur; qui cum Epapho Iouis filio non cederet, seque Solis filium esse gloriaretur, hunc falso gloriati inquit Epaphus, ut ait Ouid. lib. 1. Metam.

Nunc Epaphus magni genitus de semine tandem
Creditor esse Iouis: per quæ vrbes iuncta parenti
Templa tenet. fuit huic animis æqualis & annis
Sole satus Phaethon: quem quondam magna loquentem,
Nec sibi cedentem, Phæboque parente superbum
Non tulit Inachides: matrisque ait omnia demens,
Credis: & es tumidus genitoris imagine falsi.
Erubuit Phaethon, iramque pudore repressit,
Et tulit ad Clymenen Epaphi conuitia matrem.

30

Quæ scripta sunt etiam a Zeze chil. 4. hist. 137. At Pausanias in Atticis Cephalo sattu natum esse ex Aurora Phæthontem scribit, quod etiam testatur Hesiodus ita in Theogonia;

τιθωνὸς δὲ καὶ τῆς ἠέως χαλαροῦσθαι,
Αἰθίοπος βασιλεὺς, καὶ ἑμῶν ἀνακτῶν.
αὐτὰρ ἔτι κεφαλῆ φουδῶσαι φαίδιμος υἱὸς
Ἰσθίου φαθόντα βίαις ἱερῶν ἀλλοτρίων.

40

Memnona Tithono peperitque Aurora nigrantum
Aethiopum Regem, Tithono hæc Emathionem.
Edidit hæc rursus Cephalo coniuncta decorum,
Et sortem Phaethonta parem Diis maeste supernis.

Fabulati sunt igitur Phaethontem Epaphi contumeliis inflammatum, ut nobilitatem sui generis vniuersis hominibus patefaceret, ad Solem patrem suum contendisse, & precibus tandem impetrasse, ut is polliceretur iurando, quidquid Phaethon poposcisset, se concessurum: Tum vero Phaethon rogauit ut
currum

currum, lucisq; administrationem sibi per vnum diem concederet: id cum graviter ferret Sol, neque tamen negare posset, quod iurando affirmaverat, multis rationibus conatur filio persuadere ne rem tam arduam, tamq; difficilem aggrediretur, quæ multò maiorem pericliam & animi constantiam requireret. Verum cum nihil neque monendo neque deterrendo neque rogando, vt ab re tanta abstineret, proficeret, inuitus illi currum habenasque equorum tradidisse dicitur: vt luculentissime scripsit Ouid. 2. Metamor. & Lucianus in dialogis Deorum. Cum igitur acceptum currum ob metû Scorpionis, retinere intra certam viam Phaethon ignorasset, effecit vt modo terrarum orbis acerbitate caloris propinquioris conflagraret, regionesque vel ad cardines mundi insuetum xitum sentirent, modoque tellus Aethiopum grauisimâ & insuetis frigidibus premeretur. Id cum sensisset Iupiter veritus ne genus animantium penitus periret, fulmine cœlesti Phaethontem de curru deiecit; qui ad ripas Eridani fluminis cecidit, vt ait Apollon. libro quarto Argonauticorum;

10

ὅτ' ἔφαθε πύραυτον ἦεν ἑρδανίης
 ἔσ' ἔπειτ' ἀθάλαττον ἑρπύσει κ' ἴμεν κερυντῶν
 ἑλιδανίης φαίθωνος ἄνευ δ' ἔρατον ἑλιδανίης
 ἄλλοι δὲ ἀρχαῖοι ἀθανάτῃσι . δὲ τὸν κούνην
 τραύματι ἀθροῦντο βαρῶν ἀνέκων ἄτακτον .

20

Vlcima ad Eridani Minyx venere fluenta,
 Pectus quò ardenti percussus fulminis igne
 Semivstus cecidit Phaethon, currumq; paternum
 Liquit in aeris campis . ibi nunc quoque fluctus
 Vulnus olent vstum grauitèr, fumosq; vaporant .

Est autem in regione Celtarum locus ille, in quem cecidisse Phaethon dicitur; vbi scaturit fontes Eridani ad Pyrenxos montes, sicuti testatur Dionysius in descriptione orbis, in his;

τίσιν δ' αἰσθησάμενοι ἔργον ἰδόμενα καλῶν
 ἀνέκων ἀθανάτων καλλίστην ἑρδανίην .
 ἦσαν δ' αἰσθησάμενοι ἑρπύσειν αἰὲν ἔτακτο
 ἀθανάτων κούνην ἑρπύσειν φαίθωνος .

30

Hic Pyrenxos montes, Celtasq; videbis,
 Non procul Eridani distantes fontibus: illic
 Tempore nocturno deserta ad flumina fratrem
 Heliades luxere suum Phaethonta cadentem .

Nam fama est eius sorores, quæ commemoratæ sunt cum de Sole ageremus, a deo grauitèr mortem Phaethontis tulisse, vt assiduè lugentes Deorum misericordia in populos fuerint conuersæ: vt innuit Ouid. lib. 1. de Ponto;

Vos quoq; felices, quarum clamantia fratrem
 Cortice velauit populus ora nouo .

40

Harum lachrymæ in electrum fuerunt conuersæ, vt ait idem poeta in libro secundo Metamorph.

Inde fluunt lacrymæ: stillatæq; sole rigescunt
 De ramis electra nouis, quæ lucidas amnis
 Excipit; & nuribus mittit gestanda Latinis .

Hæc illa sunt, quæ de Phaethonte ab antiquis fabulosè dicta fuerunt. Phaethon Solis & Clymenes filius dicebatur, quia est ardor aut inflammatio, quæ

quæ

Mythologiæ

quæ è sole proficitur: nam *ἄσπερ* ardeo significat. Huic Clymenen dixerunt esse matrem, quæ aqua est, et *ἰνὺν* quod inundare significat, fuit vocata. sensit enim Anaxagoras & Heraclitus stellas esse igneas, inque vaporibus ali, qui per vim solis è terra extrahuntur: nam cum vapores illi inflammati fuerint, cum vehemens est calor, quod etiam patet per æstiuos dies: cum enim sunt crassiores terræ vapores, liquæ calefiunt à sole, quod etiam magis accidit imminentibus imbribus, tum magnus & intolerabilis prope fit æstus; quare Phaethon Solis & Clymenes est filius, eorum vaporum scilicet aëdor, qui à sole excitantur. Alii Cephali & Auroræ filium esse Phaethontem putarunt, quia Cephalus & ipse Sol astrorū omnium princeps esse creditur, nascitur enim ardor è solis viribus per cursum. Fabulantur hunc cursum à Sole patre impetrasse, quia late vagatus sic ardor ille, multasque insuetas grauioribus caloribus provincias depopulatus sit. Ego enim sanè per hanc fabulam eximiam aliquam siccitatem, aut eximium & inauditum calorem contigisse aliquando crediderim ob certum planetarum congressum sole in extrema parte Libræ sub finem Septembris exillente, quare fixerunt antiqui Phaethontem, ante quàm ad Scorpionem accederet, eius metu decidisse. Finxerunt cum in ea parte præcipuè signiferi delirasse, quæ est vltima Libræ in Scorpionem, vbi via dicitur vltima: quæ gradus decem vtrinque continet. Cum enim Solis currus eò peruenisset, neque tamen per breuitatem dierū æstus cessaret, creditus est Solis currus viam suam reliquisse, atque inde locus datus est fabulæ. Nihil fuit igitur aliud Phaethontis fabula, nisi ob nonnullarum errantium stellarum congressum siccitas eximia: qui dicitur ad ripas fluminis Eridani decidisse, quia inundationes hanc siccitatem plerunque consequi solent, vel pestilentia, vel terræ motus, vel annonæ penuria. Nam cum cum mirus calor solis terræque siccitas Galliam & Græciam, & Italiam anno salutis nostræ 1242. inualisse dicatur, tanta vis pestilentia anno sequenti coorta est, vt vix vnus è die è millibus hominum superfuerit. Illud ipsum aliquando contigit in Aegypto, & in Asia post eximiam siccitatem & post eximias inundationes; nam duodecim vrbes vna nocte Tiberio Cæsare imperante terræ motu deuastatæ sunt. Atque Anaximander ex obseruatione syderum non solum tempestates, sed etiam subterraneos ventos Lacedæmoniis futuros prædixit. Hunc fuisse deiectum fulmine à Ioue apud Eridanum fluium fabulantur, quia vt Orionis sic Eridani exortu magna vis imbrium sæpius concitatur, quare in Aratris versibus illum magnas habere vires inquit Cicero, cum ita verterit;

Hæc etiam Eridanum cernes in parte locatum,
Cæli funestum magna cum viribus annem.

Id autem ita fictum est, quod fulmine fuerit deiectus; quia vapores per calorem elati in sublimi aeris parte in angustum à circumstanti frigore compulsi, (est enim illa pars aeris, vbi cessant radii solis à terra remissi, frigidior.) tonitrua, & fulgura, & fulmina emiserunt ac detruserunt, donec calor ille denique dissiparetur. Ea de causa & Iupiter illum de curru deiecit dicitur, & siquam rerum mortalium labantem videret, re fecisse, nam Iupiter modo aer est, modo mens diuina, à quo aere frigidiore denique facto creata sunt aliquando penè exusta & extincta ob æstum animantia. Fama est eius sorores aëo miserabiliter mortem Phaethontis luxisse, vt Deorum misericordia fuerint in populos commutatæ. Hoc nihil aliud significat, nisi ex hu-

more

more & calore solis illo eximio multa postea arborum plantarumque genera nasci solere. veruntamen ubi calor materiz facultatem superarit, non amplius est generationis, sed corruptionis autor. Succus autem qui vel e corporibus animalium vel ex arboribus extremus effluit, propter vim intimam expellentem crassior est, quare electrum ex illis arboribus tum primum lacrymantibus effluxisse dicunt. Fuerunt qui hęc ad historiam potius detorqueant: nam omnes fabulę habent aliquam historię partem tantquam fundamentum. scribit Zez. hist. 127. Phaethontem filium fuisse cuiusdam Regis, qui cum currum agitaret ad ripas Padi Celtarum fluvii in flumen delapsus interierit, quem tanto cum animi dolore luxerunt sorores, ut stupida factę sint, quare dictę sunt in arborea commutata. Nam Plutarchus in Pyrrho post diluuium primum Thesprotorum & Molossorū Regem Phaethontem fuisse scribit: quem Lucianus in Dialogo de Astrologia Solis idcirco filium, currumque accepisse credidit, quia solis cursum primus deprehenderit. fuerunt qui Phaethontis fabulam inde detortam esse dicant, quod vastus cometa solaris natura in nonnullis locis tandem dissolutus intolerabilis æstus effecerit. Est enim ea cometarum natura, siue sit vapor circa sydera collectus, siue per se pręlongus existat, qui paulatim exitur, siue alia quavis de causa oriatur, ut siccitas, & æstus, & aquarum penuria consequatur, quia propeniores sunt ad inflammationes aeris vapores, quam ad pluiam. Quod attinet ad motes, deprimere nonnullorum arrogantiam per hęc voluerunt, qui nihil sibi non tribuunt, nihilque se nescire propter nobilitatem arbitrantur; quę arrogantia homines plerunque trahit in magnas calamitates. At nunc de Aurora dicamus.

10

20

De Aurora. Cap. 11.

Avroram filiam fuisse Hyperionis ac Thie, Solisq; & Lunę sororem, declaravit Hesiodus in Theogonia his carm.

*Θησὶ δ' Ἄλτιος ἢ Πύλαος, Λευκοπατρὶς ἐκλάσθη, ἢ
ἦν δ' ἠρᾶν ἔκλυε, ἱερὸν ἔκλυε φανόν
Ἀλασπίτιος ἢ Διὸς, τοῖς ἠρώεσσι κέρως ἔχουσα,
Τίτανος Ἐπειδοπούρου, ἄνακτος δὲ Πηλεΐωνος.*

30

Thia parit solem magnum, Lunamque nitentem,
Auroram, quę fert lucem mortalibus almam,
Cælicolisque Deis cunctis; Hyperionis almę
Semine concepit nanque illos Thia decora.

Alii Titanis & Terrę filiam esse Auroram crediderunt. Hanc solis pręuiam, sicut Aurorę pręuium luciferum, dixerunt antiqui: quippe cum solem cito oriturum nuntiet mortalibus, ut ait Orpheus in hymno in Auroram;

40

*Ἀυρῆ δὲ Διὸς ἔκλυε, ἠρᾶν ἔκλυε
Νυντία Τίτανος, κελὴν ἠρᾶς.*

Huic digitos rōseos tribuit Homerus propter colorem rubicundum, aut subrubentem, quam in aurea sede vehi dixit in hymno in Venetem;

*ὅμοιόν τε ποτὶς ἑπιπέλατος ἠλίου τείνου
ὅμοιόν τε ποτὶς ἑπιπέλατος ἠλίου τείνου*

Ut vestra de gente parem Diis, aurea sedes
Quam vehit, arripuit Tithonum Aurora maritum.

V u Fabulati